

in sede circa annos Domini 1281, natione Gallicus, apud Perusium migrasset in pace, quem Deus miraculis illustravit,

Honorius V, natione Romanus, ei successit [et¹ sedit an. 3 non complens], quo decedente de seculo [circa² a. D. 1286],

Nycholaus III^{us} in papam electus est. Hic a pueritia in ordine fratrum Minorum sancta conversatione proficiens, moribus et virtutibus adornatus, frater Yeronimus vocabatur; qui offitia sibi in ordine imposita devote et sapienter perfecit, et generalis minister effectus, sapienter et provide ordinem rexit. Hic legacionem sibi impositam eleganter exercuit et a domino papa cardinalis effectus, ita humiliter professionem paupertatis tenuit; omni die a domino papa victus et potus ei mittebatur, fratribus sociis et duobus famulis contentus. Hic cum esset religiose vite et sancte conscientie, thesauros aggregare nolebat. Qui postea in summum pontificem sublimatus eandem morum gravitatem tenuit, quam prius habuerat, et amicis et parentibus bona ecclesie et divitias non dedit.

De inperio regis Rodulfi.

Illis temporibus cum vacaret desolatum imperium Romanorum, in plures partes divisum, Rodulfus rex Boemie, vir catholicus et modestus, in regem quasi totius Alamanie sublimatur; ad quem dominus papa legatos misit cum epistolis. Qui domino pape humiliter respondit et intrare Ytaliam et Romam venire recusavit, et ad coronam imperii non pervenit, ne cum sancta ecclesia discordaret. Et sic Alamaniam securus possedit.

Ystoria destructionis civitatis Tribulitane³.

Circa illa tempora civitas Tripolis fertilis et decora⁴, Tyro et Sydoni proxima et contigua, archiepiscopatus et principatus dignitate predita, nobilibus et populo et clericis et religiosis repleta et divitiis opulenta, inimico humani generis faciente, et peccatis promerentibus, in discordiam concitata per duos precipuos principes eius, quorum unus minoris potentie, cum ante faciem alterius maioris stare non posset, ab illo superatus, yra repletus est et furore nimis accensus, citatus animo, Dei oblitus et sue salutis immemor, soldani adiutorium principis Sarracenorum occulte procuravit et civitatis ingressum ei aperire promisit. Et soldanus exultans innumerabilem multitudinem Sarracenorum misit, et obsidentes Tripolim, a proditoribus ingressus datur eis. Et Sarraceni canes cum proditoribus christianis occupantes civitatem ex una parte, magna multitudo civium christianorum, virorum et mulierum et clericorum, religiosorum ex alia parte fugientes relinquebant

1) Dieses mit anderer Tinte später hinzugefügt. 2) Am Rande mit anderer Tinte ergänzt. 3) tribulata ē Hs. 4) Uebergeschrieben mit anderer Tinte: 'Circa an. D. 1287'.